ſtituit, vix hic ſibi perſuaderet, eos eſſe eſſentialis neceſſitatis, & de jure naturæ. Verum eſt, ſed propter difficultatem, quam invenimus propter peccatum, Dei Filius nobis oſtendere voluit ingrediendum eſſe per anguſtam portam in Æternum regnum ſuum perventuris; & ſimul quod corruptæ naturæ difficile videbatur, cum auxilio gratiæ Dei facillimum fieri. *Ex Libro, cui Titulus Theologia Moralis Sancti Auguſtini.*

Inſigne diſcrimen inter legem Moyſis, & gratiæ.

At enim quod diſcrimen intereſſe poteſt inter novam legem, & Moyſis? Diſcrimen hoc eſt, legem Evangelicam ſcriptam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, effundentem charitatem, & interiores ſenſus regentem; Moſaycam vero in lapidibus ſculptam fuiſſe, quæ cum minas dumtaxat intentet, ut ſibi obedientiam conciliet, exteriores ad ſummum actiones regere poteſt. Timor rem ipſam funditus mutare non poteſt; poteſt ſolum exteriorum ſervare ſpeciem; & vim facere affectui, ut fiat id quod nollet fieri; vel etiam ut fiat oppoſitum eorum, quæ quis facere vellet. Ita ut ſi quis exterius per vim ſeſe ſcriptæ legi ſubmittit, interius eidem reſiſtat, & ſi verba, & facta conſentiunt, ſenſus cordis diſſentiat; ſi os, manuſque imperata faciunt, ſpiritus ſit obediens; quod Deus Judæis exprobrat per hæc verba: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Sanctus Auguſtinus diſcrimen hoc attigit; cum ait, legem veterem Judæis eadem præcepiſſe, quæ nobis præcipit Evangelium, ſed non eadem promiſiſſe. Illis quippe proponebatur in præmium terra, quæ patribus eorum fuerit promiſſa; nobis vero æterna promittitur vita, quæ ſita eſt in Dei, ejuſque Filii Jeſu Chriſti ab eodem miſſi promiſſione. In hoc Lex cum Judæis agebat tamquam cum pueris, quibus aliqua tribuuntur bellaria, ut alliciantur ad ea, quæ ab ipſis in eorum utilitatem ceſſura fieri cupimus. *Ibidem.*

Tract. 3. in Joan.

Semper parati eſſe debemus ad legem implendam, Pſalm. 1.

Regius Propheta nonnumquam juſti voluntatem in lege conſtituit: *In Lege Domini voluntas ejus*; nonnumquam vero conſtituit legem in corde juſti; *Lex Dei in corde ipſius*, ut intelligamus legem eſſe debere in corde noſtro, tamquam in folio, ubi omnibus animæ noſtræ affectibus imperitat; ſimulque cor noſtrum eſſe debere in lege tamquam in objecto amoris ſui, ut ſemper illius admirabilia meditetur. At omnes hi loquendi modi, quibus Propheta uſus eſt, non aliud ſignificant quam diſpoſitionem eam, in qua eſſe debemus legem adimplendi. Non enim ſatis eſt adimplere legem in variis occaſionibus, quæ ſeſe offerunt nobis illius adimplendæ, ſed ſemper parati debemus eſſe ad illam adimplendam tunc etiam, cum nobis non ſeſe offert occaſio: quia hæc noſtræ voluntatis affectio in ſe complectitur quodammodo pretium veræ obſervantiæ, ipſaque eſt veluti fons meritorum, quæ lex in omnes vitæ noſtræ actiones effundit. Hinc oritur, Prophetæ ſeſe in adeo præclara, Deoque accepta præparatione exerceri, non ſatis eſſe cupere, ſe diligentem, ac fidelem eſſe legis obſervatorem, ſed vehementer etiam atque etiam deſiderare hoc ipſum deſiderium illius obſervandæ, cujus vim, meritumque agnoſcebat: *Concupivi deſiderare juſtificationes tuas. Abbas du Jarry.*

Pſalm. 118.

Si volentes in hoc mundo illam obſervaverimus, nolentes in altero obſervabimus.

Ad Deum pertinemus per omnes eos titulos, qui legitimam dominationem poſſunt conſtituere. Deus abſolutus eſt animarum, corporum, vitæ, bonorumque noſtrorum Dominus, Noſtram dumtaxat voluntatem liberam eſſe voluit; verum cum hæc ipſa voluntas ſit a Deo, ipſe illius etiam Dominus eſſe debet. Licet hæc in actionibus ſuis a nemine pendeat, tamen in principio ſuo ſubdita eſt, quamvis Domini jugum excutere poſſit, huic tamen debet ſeſe ſubmittere. Optionem habet obediendi, & ſecus; ſed citra ſcelus obedientiam detrectare non poteſt. Facultas qua donata eſt præſcriptos ſibi divinitus cancellos prætergrediendi, nonniſi, ut ultro ſeſe intra illos contineat, inſervire debet, & libertas hæc, quæ nobis integrum eſt a legitimo Rege noſtro deſciſcere, mutat ſolum ſervitutem in obedientiam: ſi enim nolumus noſmet ſubjicere legibus, quæ ſubditis irrogatæ ſunt, nobis illæ ſubeundæ erant, quæ contra rebelles latæ fuerunt. Si in hac vita a Dei imperio diſcedimus, in illud poſt mortem revertemur, nihilque noſtræ libertatis reliquum nobis erit, quam murmur rebellis voluntatis, vinctæ, & quodammodum obrutæ pondere illius poteſtatis, quam, dum in terris verſaremur, noluit revereri. Ita Dei voluntas numquam labefactabitur, omniaque in majorem cedent illius gloriam vel per coactam, vel per liberam creaturarum ſubmiſſionem. Hoc igitur optimum conſilium eſt, quod ſequi valeamus, ut videlicet volentes, & ultro noſmet legitimæ huic poteſtati ſubjiciamus, quin expectemus egredi ex hac vita, ut nolentes, & inviti illius imperata faciamus.

Salvatoris jugum ultro, & libera voluntate ferendum eſt. Matth. 7. Eccli. 15.

Dei Filius non ait, impono vobis jugum meum, velitis, nolitis, illud geſtabitis; ſed *tollite jugum meum ſuper vos*, ut intelligamus, illum nolle libertati noſtræ vim facere. Deus creavit hominem ab initio, Eccleſiaſticus inquit, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Mox illi leges conſtituit, ſi illas ſervare volueris, ab illis ſervaberis. Notanda ſunt verba: ſi eas ſervare volueris, palam oſtendit, Divinæ legis obſervantiam nobis, juvante Deo, poſſibilem eſſe; nos illam obſervando mereri; & legi huic a nobis ſubmittendam eſſe voluntatem, quæ noſtrummetipſorum pars eſt præſtantiſſima. Cultum, & obſequium rationabile a nobis expetit Deus, & hoc Domini verba ſignificant, *tollite jugum meum ſuper vos*. Alloquitur homines rationis compotes, & loquitur illis de jugo, quod ipſe etiam tulit, *jugum meum*. Itaque ſpiritus longe magis, quam corpus huic jugo ſubjiciendus eſt, ambitio, libertatis amor, libido in ceteris dominandi hæc omnia ſunt ſpiritus ille, quem Deus ſibi ſacrificari jubet per humilem legi ſuæ ſubmiſſionem. Nonnunquam haud ægre caro ipſa ſubigitur, ſed ſpiritus non adeo facile ad id redigitur. Propria tumens excellentia ſemper paratus eſt, ut ſeſe ſubtrahat ſubjectioni. Nondum incœpimus ferre jugum Filii Dei, ſi ſpiritus noſter nondum ſeſe illi ſubjecit. Licet pietatis exercitiis, jejuniis, auſteritatibus vacemus, adhuc rebelles ſumus, niſi cor noſtrum ſeſe legi Salvatoris ſubjecerit. *P. Segneri in Meditationibus, Tom. 3.*

ad Rom. 12.

Minus excuſabiles ſumus quam Judæi niſi Dei mandatis paruerimus.

Timendum nobis eſt, ut Salvator nos ita aliquando coarguat. Vobis legem Sanctam tradidi, quæ vobis facem præferret, & in Cœlum adduceret; cur illam non ſequimini; & cur iterum me flagitiis veſtris crucifigitis? Lex, quam dederat Deus hominibus per Moyſem probata, mitigata, & locupletata plurimis ſanctis conſiliis ab ipſo Dei Filio, meretur proculdubio recentem obſervantiam, & amorem peculiarem. Illud vero nos magis magiſque impellere debet ad Sanctæ legis hujus praxim, quod cum interiorem accederimus legem, & ignem Spiritus Sancti ad nos confirmandos, & ad virtutem excitandos, nulla nobis ſuppetit excuſatio, voluntatem illius non implentibus. Videamus itaque, & ad examen revocemus quidquid quotidie facimus contra divina mandata, & occaſionem, quam Deo præbemus auferendi nobis ſua lumina: *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit &c.* Numquid recte faciunt, cum quotidie me quærunt, & viam meam ſcire volunt, quaſi juſtitiam ſervaverint, & Dei ſui legem minime fregerint? *P. Novet in Meditationibus.*

Iſai. 58.

Omnia in via ſalutis facilia ſunt Deum ducem ſequenti.

Verum eſt, iter Evangelicum ſpinis, & obicibus non carere. Ut in eo progrediamur ſibimetipſi invigilandum eſt, ſemper cavendum ab inſidiis ſenſuum, & imaginationis, ſemper obnitendum contra pernicioſam Mundi placita, & contra torrentem conſuetudinis; vitæ hujus ærumnæ citra impatientiam perferendæ, honores ſine ambitione poſſidendi, utendum opibus ſine affectu; verbo cogitationes, actu omnes ad immutabiles fidei canones referendi. Sed hujuſmodi difficultates Chriſtianum viatorem neque terrere debent, neque ab incæpto deturbare. Illæ ultro, & ut ita dicam, ex ſemetipſis ſternentur, dummodo illæ ducis ſui voluntatibus pareat, legeſque ejus tueatur. Prout in virtute progredietur, jugum Evangelicum fiet illi ſuavius, & levius. Deus præibit illi, Deus illum deficientem ſuſtinebit, labentem attollet, ambulantem confirmabit. Radii Solis juſtitiæ indeſinenter viam illius illuſtrantes, præbebunt ei dies puros, atque ſerenos. In ipſis uſque deſertis invenient cœleſte pabulum, & alimenta, quorum ſapor millies gratior erit, quam epularum, quibus Regum menſæ inſtruuntur; cum interim impii in rerum affluentia eſurientes, denſiſſimis peccati tenebris involuti, modo ardentes flammis concupiſcentiæ, modo adſtricti formidinis gelu ad aſpectum periculorum ſemper præſentium, de præcipiti in præceps, de calamitatibus in calamitates errabunt. *Ex Sermone ſecundo Accademiæ anni 1707.*

Nil facilius quam legem obſervare.

Licet verum eſſet Legis praxim eſſe admodum moleſtam, non ideo ceſſandum nobis eſſet, quia citra multos labores virtus acquiri non poteſt; Nemo coronatur niſi qui certavit. Sed homines adeo ſunt miſeri, ut legem obſervare nolint, licet eam in ſilentio, & reque id exequi valeant. *Ex Opuſculis Sancti Joannis Chryſoſtomi.*

Leges Evangelii obligant omnes.

Si Mundi Principes nonnumquam concedunt quaſdam diſpenſationes ab iis legibus, quas ipſi irrogarunt, mirum eſſe non debet; quia indigent opera illorum, quibus ſuas gratias impertiunt, vel remunerari volunt de ſe optime meritos cives. Id vero divinis, Evangeliciſque legibus non accidit; quod his nefas eſt, numquam fas eſt aliis. Nulli fas eſt peccare, immo neque prava deſideria concipere; nulli fas eſt avidas manus in aliena immittere bona; immo etiam nefas eſt iis, quæ jure poſſidentur, affectu adhærere. Nulli fas eſt contra proximum falſum teſtari, immo etiam nefas eſt alieno nomini labem offundere, licet verum dicatur. Legum harum enumeratio nimis eſſet prolixa; ſed earum nulla aliquam patitur ætatis, ſexus, nationis, temporum diſpenſationem. Nulla præſcriptio expectanda eſt, nullum ſperandum eſt lenimentum. *Abbas Boileau, in Delectis Sententiis.*

Una Jeſu Chriſti lex hominem efficere poteſt beatum. Iſaiæ 9.

Omnes ſæculi Sapientes, qui ferendarum legum auctoritatem ſibi vindicarunt, hoc ſibi propoſuere, ut legibus ſuis ſubditorum felicitati conſulerent, & ex profanis hiſce legiſlatoribus nemo votorum ſummam eſt aſſecutus. *Et erunt qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur, præcipitati.* Et ratio conſtat; quia cum horum Philoſophorum, & Politicorum leges nequirent homines ad æternam vitam perducere, non poterant ideo eos beatos conſtituere. Felicitas nonniſi per obſervantiam Legis Chriſti Jeſu poteſt comparari. Itaque ubi primum divinus hic Legiſlator in montem legem ſuam tulit, incœpit annuntians eos omnes beatos futuros, qui illam obſervaverint. *Beati qui eſuriunt juſtitiam; Beati, qui nunc fletis &c.* Sermo hic profecto admirabilis fuit & hominum ſenſibus longe oppoſitus, qui hactenus felicitatem conſtituerant in gloria, in opibus, in proſperitate. Hae ipſa de cauſa Sanctus Jacobus inquit: *Qui perſpexerit in legem perfectam, & permanſerit in ea .... hic beatus in facto ſuo erit.* Apoſtolus hic nos docet nullam eſſe ſperandam felicitatem illi, qui alteri cuicumque legi, præterquam Chriſti Jeſu, ſeſe conformet. Hanc magni momenti veritatem intelligere conemur; quæ totius Chriſtianæ vitæ fundamentum eſt. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Jacob 1. 25.

Adhortatio ad Jeſu Chriſti legem amplectenda.

Jure quidem, ſalvator, legem tuam in monte promulgans eos, a quibus ſedulo ſervaretur, beatos futuros dixiſti. Homo nonniſi in legis adeo perfectæ obſervantia invenire poterat felicitatem. Hæc neque alium mihi proponit finem, quam æternam beatitudinem, neque aliam viam illuc perventuro, quam Evangelica præcepta, & conſilia. Praxis diſciplinæ adeo puræ poſſetne me deterrere? Efficiens, ut futuræ vitæ merear felicitatem, in præſenti etiam vita beatum me facit. *Idem.*

LIBRI. LECTIO.

Boni, Pravique Libri; Fructus, qui ex illis hauriri poteſt; & detrimentum, quod afferunt iſti. Lectio Spiritualis, &c.

MONITUM.

Licet de bonorum, pravorumque librorum lectione dici queat quidquid de bonis praviſque ſermonibus dicitur; non deſunt tamen quædam ſatis peculiaria; & Auctores, qui hoc argumentum pertractant, ſatis copiæ ſuppeditant, ut de hac re titulum ſeorſim inſtituamus.

Animadvertendum dumtaxat eſt, 1. Sanctos Patres ante cetera ſacra Biblia commendare, quippe quæ Spiritu Sancto dictante conſcripta fuere, & præ cæteris ad nos ſanctificandos ſunt aptiſſima, & verbo quia hic antonomaſtice Liber eſt; ſed quin alios aſceticos libros excludant, illos ipſos utiliſſima edidiſſe volumina ad populus edocendos, eoſque ad omnem virtutem formandos.

2. Inter bonos libros, iſtic aſceticos tantum recenſemus, qui de myſteriis, ac moralibus religionis noſtræ veritatibus agunt; ita inter malos, vel inutiles nequaquam a nobis recenſeri eos, qui ad ſcientias, vel facultates pertinent, Philoſophos, Hiſtoricos, Oratores veteres, & recentiores, immo neque eos, qui de indifferentibus dumtaxat rebus pertractant, qui ad mentis ornatum inſervire poſſunt; ſed malos eos dici, qui moribus, & religioni ſunt pernicioſi.

3. Etiamſi concionatores obiter dumtaxat ut plurimum hoc argumentum attingant, atque pauci occurrunt ſermones, qui toti in hoc verſentur, cum tamen prava volumina tantam omni tempore in moribus contagionem pepererint, cumque plurimi fideles doctrina egeant, ac duce, quem alios invenire non poſſunt, haud quidem credo luſurum operam, qui ſingulari concione pravorum librorum lectionem improbaverit, atque ad pios perlegendos libros fuerit hortatus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. Licet etiam Sancti Patres, ſacrique Canones, & Eccleſiæ præceptum nequaquam interdicerent fidelibus pravorum librorum lectionem (hoc autem nomine eos intelligemus, qui vel fidem, vel bonos mores impugnant) lex ipſa naturæ, noſtræque ſalutis negotium, quæ res una omnium nobis maxime cordi eſſe oportet, horrorem illorum nobis debet injicere, & ad eos fugiendos, ac deteſtandos impellere, 1. tamquam patens periculum, proximamque peccati occaſionem; 2. tamquam maximorum in mundo malorum originem, hæreſum nempe, impietatis, licentiæ, & corruptionis morum ſecundum librorum naturam, & qualitatem; 3. & propter peccata particularia, quæ ab illis committuntur, qui illos legunt, commodant, vendunt, approbant, ac retinent. Hæc erit totius concionis diviſio.

Pars Prima. Dico eum, qui pravos legit libros, ſeſe temere in peccandi occaſionem objicere; quod antequam argumentis confirmem, explicandum eſt quid pravorum librorum nomine intelligatur; hi quippe nequaquam illi ſunt, qui invenuſte, ac ineleganter ſcripti ſunt, quorum vel argumentum, vel ſtylus illepidus, & rudis eſt, neque legentium curioſitati ſatisfacit; ſed eos omnes complectimur, qui pravam docent doctrinam, vel pernicioſa tradunt præcepta contra fidem, vel mores. Ad hæc cum hos libros citra noxam legi non poſſe dico, vel quin legentes ſeſe peccandi occaſioni objiciant; ſatis conſtat excipiendos hinc eſſe Eccleſiaſticos ſuperiores, atque Doctores eorum examini præpoſitos, & ſi mavis, viros aliquot ſpectatæ doctrinæ, & probitatis, qui eos legendi vel jus habent, vel facultatem. Loquor igitur de vulgo fidelium, quibus lectio iſta nonniſi periculoſa, ac pernicioſa eſſe poteſt, quippe quæ non ſolum eſt occaſio peccati, quod jam patratum eſt, ut omnibus conſtat, cum aliquis ultro, & cum periculi cognitione ſe exponit; verum etiam pro formalem Eccleſiæ inobedientiam, quæ poteſtatem habet, jus, auctoritatem, juſtamque rationem interdicendi filiis ſuis curioſitatem, & voluptatem, quam ipſa judicat; & ex ipſa rerum experientia pernicioſa eſſe cognoſcit. Eſſet illa ne pia mater, gereretque ſalutis eorum, quam debet, curam, niſi illos & peri-

periculi in quo ſunt, & mali in quod prope eſt ut labantur, admoneret? Ad hæc oſtendendum eſt, lectionem hanc eſſe peccati occaſionem æque pernicioſam, ac pravos ſermones, qui ſemper vim habent eamdem, ſive ex ore, ſive ex calamo hæretici alicujus, vel flagitioſi hominis egrediantur. Comparatio quoque poteſt inſtitui, ac oſtendi illos in voluminibus adhuc eſſe nequiores, quia cum majori ſtudio, ordine, argumentorum robore, dicendique gravitate & lepore conjuncti ſunt &c. Præterea apertæ ſcelerum deſcriptiones, quæ in libris occurrunt; tantam in animis noſtris vim habent, quantam mala exempla, ſi ob oculos verſarentur, ideoque magis periculoſa eſt eorum occaſio. Illa minus timemus, & perhorreſcimus: ſæpe vitæ noſtræ ratio, & officium vituperandi ſcelus, quod videmus; non prohibent, ne illud legentes iis omnibus exutum circumſtantiis, quæ illud nobis in odium poſſent inducere, probemus, & oblectemur earum rerum lectione, quarum adſpectu erubeſceremus. Pernicioſi denique voluminis lectio, quamquam fiat clam, & in ſolitudine, majorem habet illecebram, ut nos ad peccandum alliciat, quam nequiores quælibet ſocietates, quæ tamen vulgo nequiſſimæ omnium occaſiones habentur. Ut plurimum enim fortuito illis interſumus: ubi earum periculum agnoſcimus, nobiſmet quam diligentiſſime cavemus, & quantumvis parum in nobis conſcientiæ, atque probitatis ſit reliquum, merito nobis vertimus impudentiſſimorum inſolentiam compeſcere, ſed ſenſim perſuaderi, & capi ſinimus voluptate, qua hæc ipſa legentes perfundimur &c. Hæc autem argumenta deinceps ſuſius pertractata, ac in lucem ſuam poſita occurrent.

Pars altera. Operoſum non eſt docere pravorum librorum lectionem plurimorum malorum originem eſſe; memoria enim repetere ſatis eſt; 1. Hæreſes, quæ nationes integras præverterunt, celeberrima fefellerunt ingenia, & viros ipſos virtute præſtantiſſima nitentes in errorem impulerunt, nonniſi librorum uſu invectas, probataſque percrebuiſſe; Arianiſmum, Neſtorianiſmum, & proximorum ſæculorum errores, quin fuſiori enumeratione eos neceſſe ſit perſequi. Malum ipſum adeo brevi ſeſe effundit, ut ulceris inſtar magnam Europæ partem corruperit, atque in remotiſſimas uſque terrarum plagas pervaſerit. Quot animæ in errorem inductæ? Quot errores in Eccleſiæ agro ſati? Quas cædes, quam vaſtitatem unus hujus generis liber non efficit? 2. Malum tamen in moribus, quam fide, minus late non ſæviit; quam enim corruptionem non gignunt amatoriæ nugæ, & fabellæ, impudica volumina, comœdiæ flagitioſiſſimæ? &c. Ubi latus aperitur oratori campus, ut acri diſertaque oratione in morum diſciplina ſpatietur.

Pars tertia. Peculiaria peccata, quæ malorum librorum lectio parit. Quot pravæ cogitationes, quot noxia deſideria impudicum librum legenti? Voluptas, quæ ex hac lectione percipitur; laus, & approbatio, qua excipitur auctor; prava, quæ inde oriuntur conſilia &c.

II. Ad auditores a pravorum librorum lectione deterrendos, illoſque ex ea, qua nihil antiquius eſſe fas eſt, ſalutis videlicet ſuæ cura movendos, hæ duæ ſunt conſiderationes, quæ illos ab adeo noxia lectione maxime debent avellere.

Prima. Pravorum librorum lectione ſpiritum corrumpi; videlicet horum librorum lectionem ſenſus immittere oppoſitos vel pietati, vel fidei, pro varietate argumenti, quod ibi pertractatur: quod ſi inutilia dumtaxat ibi contineantur argumenta, ſpiritus ſaltem diſſipatur, ac ſaluberrimæ cogitationes ſuffocantur.

Altera: Corrumpi animum, & in vitium, vivendique licentiam impelli. Hujuſmodi ii libri ſunt, qui amatorii dicuntur, prophanatione amoris fabulas, nexuſque proſequuntur; ubi oſtendendum eſt illos quo venuſtius conſcripti ſunt, eo ad mores corrumpendos aptiores eſſe. Itaque cum mentis corruptio, ac vitæ noſtræ nequitiæ duo ſint malorum librorum vulgatiſſimi effectus, ac maximi noſtræ ſalutis obices, crimonoſam curioſitatem, ne dicam inſanum hunc eorum perlegendorum furorem debemus compeſcere; quæ duo duplici concionis parte poſſunt oſtendi.

III. 1. Pravorum librorum, qui a virtute dimovere, ac vitium edocere poſſunt, lectio nequaquam neceſſaria eſt adoleſcentibus vel ad eorum ſtylum acuendum, expoliendumque, vel ad quamlibet ſcientiam percipiendam: neque enim deſunt, hoc vero præſertim ſæculo, egregia volumina, ubi bene vivendi, loquendique ratio valeat edici, qua ſimul & doctores, & meliores evadant. 2. Lectio hæc illis pernicioſa eſt; nihil enim ad ingenium eorum corrumpendum eſt aptius, nihil ad illos in omnem libidinem impellendos validius. 3. Omnino indigna eſt homine Chriſtiano propter impia dogmata evangelicis prorſus contraria, quæ ibi addiſcuntur; & quæ non multo poſt exercentur.

Pravos libros perhorreſcere debemus; cum enim omnia Chriſtiani hominis officia in hoc poſita ſint, ut malum fugiant, & operentur bonum; IV.

1. Pravi libri nos in malum impellunt, ac illud docent exemplis, quæ affectibus noſtris gratificantur; apertis deſcriptionibus, quæ illud ob oculos ponunt, ac in animis imprimunt; fallacibus placitis, atque rationibus, ideoque nobis ſunt ſcandali occaſio. 2. Nos a bono avertunt, efficientes, ut noſtra negligamus officia eo tempore, quo lectioni vacamus; pietatis faſtidium inſpirant; conſcientiæ ſtimulos ſuffocant &c.

Cum generatim loquendo duo ſint genera librorum; V.
bonorum videlicet, qui bonum docent, & ad virtutis exercitationem cient; nec non malorum, & pernicioſorum, qui malum perdocent, & vitium impellunt: juſtus inſtitui ſermo poteſt;

1. Si oſtendatur malum, & ſcandalum, quod pravi libri gignunt, alii quidem contra fidem, & religionem, alii vero contra bonos mores: ita ut dici queat, hunc quovis tempore funeſtiſſimum fuiſſe pietatis, virtutumque omnium ſcopulum. 2. Bonum, & fructus, quem boni afferunt libri: etenim de iis, qui pia tractant, atque de religionis noſtræ myſteriis, chriſtianique hominis agunt officiis, id dici poteſt, quod de ſacris Bibliis D. Thomas: *Docent cognoſcere veritatem, ſuadent operari juſtitiam.*

De lectione librorum, qui amatorias fabellas conti- VI.
nent ſingulariter. Satis deplorari non poſſunt funeſti effectus, quos hujuſmodi libri gignunt. Ibi loquitur Dæmon, ibi Dæmon auditur; quæ vero magis peculiaria dici oſtendique poſſunt; hæc ferme ſunt.

1. Illos oppoſitos eſſe puritati propter malas cogitationes, quas excitant in mente, propter noxia deſideria, quæ fovent in corde; propter pericoloſos affectus, quos vel ſuſcitant, ubi ſopiti fuerint vel re adhuc integra accendunt; propter illecebram, qua narrant ea, quæ maxime ſunt periculoſa, & facta, quæ cor ipſum molliunt, ac mentem inſanis refercient ideis. 2. Oppoſitos eſſe pietati, devotioni, chriſtianiſque virtutibus, ſublimes adſtruendo ideas virtutum aliarum, quæ mere paganæ dici poſſunt, & quæ propter objectum ipſarum, & eas perſonas, quæ de illis gloriantur, vera ſunt vitia; hujuſmodi ſunt ambitio, gloriæ deſiderium, conſtans fidelitas erga objectum affectus fabulorum Heroum: vindictæ, quæ tamquam juſti inſignis generoſitatis effectus laudantur &c. Adde his, mentem refertam, repletamque fictitiis certaminibus, caſibuſque, qui avide perlecti fuerunt, non guſtare amplius cæleſtia: quapropter hujuſmodi libris majus periculum adjacet, quam illis qui vel impietates, vel obſcænæ libidinis monſtra, quæ naturaliter perhorreſcimus, complectuntur. Ejuſdem argumenti.

1. Mala, quæ hujuſmodi pernicioſi libri pariunt, VII.
multa ſunt numero, & fere incurabilia; & quamvis plurima non ſint palam obſcœna; longe plures rationes ſuadent lectionem eorum admodum eſſe pernicioſam. Primum, non aliud eorum auctoribus conſilium, neque mens eſt alia, quam hoc pacto noxium afflandi venenum, quo imbuti ſunt. Secundo hujuſmodi librorum argumentum eſt de prophano tantum amore verba facere, de fabuloſorum Heroum conatibus, rebuſque geſtis, qui poſt varia diſcrimina tandem affectus ſui conſequuntur objectum. Denique ratio, qua hujuſmodi libri ſcripti ſunt, lectoris ciet curioſitatem, allicit ejus ingenium, & callide virus in cor ejus inſtillat. 2. Prætextus omnes, qui afferuntur, ut eorum librorum lectio probetur, quales ſunt ſtyli expoliendi, ſermonis lepores, venereſque dicendi, vel aliquod horas otii tenendi, atque animi a curarum ſeveritate amovendi: hi omnes, inquam, prætextus inepti ſunt; & alii poſt alios refellendi, atque oſtendendum non poſſe illos cum ſalutis periculo, quod in hac lectione non deeſt, comparari.

De lectione ſpirituali, cujus viget uſus apud eos, VIII.
qui pietatem colunt.

Tria omnino ſunt ad ſalutem neceſſaria, quæ in piorum librorum lectione uberrime inveniuntur.

1. Lumina in intellectu ad bonum a malo dignoſcendum; id quod faciendum ab eo, quod fugiendum eſt. 2. Voluntatis affectiones ad bonum amplectendum, malumque fugiendum. 3. Boni cogniti conſtans exercitatio, & mali explorati horror, & fuga. *Videri poteſt hoc argumentum fuſius pertractatum a P. Suffren Tom. 1. c. 10. §. 2.*

Ejuſdem argumenti.

1. Utilitas quæ ex Aſceticorum librorum lectione IX.
percipitur. Magni ſunt adjumenti, ad chriſtiane vivendum, ad tuendam innocentiam, ad creſcendum in virtute, & ſanctitate, ad ſeſe ad bonorum operum praxim excitandos &c. Hæ totidem ſunt rationes, in quibus diutius immorandum eſt. 2. Quomodo legendi ſint; ſcilicet mente proficiendi; ea meditando, quæ leguntur, & animo exercendi ea, quæ diſcuntur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus, *l. 1. Conf. c. 16.* eorum objectioni reſpondet, qui malos perlegunt libros, hanc prætexentes cauſam, ut videlicet bene loqui diſcant.

Idem, *lib. de utilitate credendi c. 4.* docet quod rationibus aliquis falli poſſit in iis, quæ legit.

Idem, *ſerm. 112. de Tempore* tradit modum, quo ſemper cum Deo eſſe poſſumus, eſſe orare, & frequenter legere.

Idem *in Pſalm. 93.* docet eruditionem, quam ſacrorum librorum lectione percipimus, nobis eſſe jam beatæ vitæ principium.

S. Ambroſius, *Serm. 25. pro die Cinerum*, oſtendit bonorum librorum lectionem utilem eſſe, ut in cœtibus pia inſtituantur colloquia, ut doceantur, & hortamenta habeantur.

S. Hieronymus in Pſalmos animadvertit, non deeſſe in ſacris libris ſalutaria cuilibet ætati monita, ad inſtitutionem ſingularum neceſſaria.

Idem in Epiſtolis *ad Ruſticum, & Euſtochium* illis bonorum librorum, præſertim vero ſcripturæ lectionem ſuadet.

S. Gregorius, *l. 2. moral. cap. 1.* refert effectus quos ſancta gignere conſueverunt Biblia in iis, qui ea ſerio, atque attente perlegunt.

S. Ambroſius, *l. 1. in Lucam* rationem adfert, cur viri quidam docti, & perſpicaces legere poſſint libros malos, qui aliis prohibentur.

S. Baſilius *Hom. 22.* docet in librorum lectione imitandas apes floribus mel exſugentes.

Idem in libro *de forma honeſtæ vitæ*, docet ſanctorum vitas legentibus imitandos eſſe Pictores, qui oculos in ea conjiciunt objecta, quæ exhibenda coloribus ſunt, ut omnia eorum exprimant lineamenta.

S. Chryſoſtomus *Hom. 35. in Gen.* numerat effectus ſacrarum litterarum in legentibus illas, & homilia 29. etiam, atque etiam ad ſacrarum Scripturarum lectionem hortatur.

Idem *homilia 3. in Gen.* Scripturæ ſanctæ verba theſauro comparat, ac fonti, qui numquam exhauriuntur.

Idem vel Auctor libri imperfecti in S. Matthæum *Homil. 17.* recenſet bona, & fructus, qui ex ſacrorum librorum lectione percipiuntur.

S. Iſidorus *de Officiis, l. 1.* oſtendit utilitatem, quam ex bonis libris haurire poſſumus.

Idem, *l. 4. Epiſt. 67.* docet ex bonis æque ac ex malis libris diſci elocutionem, ideoque inanes prætexere rationes; qui ex obſcœnis voluminibus ſermonis leporem ſe diſcere velle cauſatur.

Caſſiodorus Tractatum edidit *de Divinis lectionibus*.

S. Joannes Damaſcenus Scripturæ ſanctæ lectionem commendat, eamque legentem comparat arbori ſecus fluentes aquas conſitæ, quæ ſemper vireſcit, ſemperque floribus, fructibuſque eſt onuſta.

Cæſarius Arelatenſis *Homil. 13.* loquitur de ſanctorum librorum lectione, & fructu, qui inde poteſt hauriri.

S. Ephrem *Tract. 2.* agit de modo bonos libros legendi.

Trithemius *de Inſt. vitæ Sacerd. c. 4. & l. 4. Homil. 4. ad Monachos.*

S. Baſilius ſermone 21. verba facit de utilitate quæ ex prophanis libris poteſt hauriri.

Gerſon Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius Tractatum edidit contra libellum cui titulus *a Roſa*, inſignem ejus temporis fabuloſam hiſtoriam, quam damnat tamquam bonis moribus pernicioſam propter rationes, quæ ſunt omnibus hujuſmodi libellis communes.

Aſcetici, aliique. Petrus Bleſenſis *lib. de Confeſſione Sacram.* contra illos invehitur, qui obſcœnos libros, vel elucubrantur, vel legunt.

S. Thereſia in vita ſua, quam ipſa conſcripſit, & in ea, quam Jacobus Yepenſis reliquit, teſtatur quænam mala animæ ipſius amatoriarum fabularum lectio pepererat.

Ribeira in Commentariis ſuis in Michæam Prophetam oſtendit, quantopere Fidelium officiat puritati hujuſmodi librorum lectio.

Granatenſis in Memoriali lib. 4. c. 1. §. 9. oſtendit, quam neceſſaria ſit lectio bonorum librorum ad pietatem, ac devotionem fovendam.

Alphonſus Rodriguez lib. 1. praxeos Chriſtianæ perfectionis tractatu 5. cap. 28. docet quantæ utilitatis ſit iſta lectio, & quomodo utiliter fieri poſſit.

P. Suffren Tomo 1. Anni Chriſtiani c. 10. funditus hoc argumentum exhaurit, & mox fuſius de malorum librorum lectione diſſerit.

Jacobus Alvares Tomo 1. l. 2. part. 4. c. 2. hoc ipſum pertractat argumentum, & lib. 3. parte 5. ſect. 2. c. 2. iterum de eodem verba facit.

Nigronus *Tract. 5. Aſcet. c. 3. n. 8.*

Marchantius *in virga Aaronis tract.* 12. loquitur de bonorum librorum utilitate, & fructu ad ſalutem.

Joannes Trullus *ex ordine Can. Reg. l. 3. & 4.*

Manſi *Tract. de Diſcipl.* alibique paſſim in operibus ſuis de hoc loquitur argumento.

Marcus Antonius Sabellicus *l. 2. c. 7.* agit de electione legendorum librorum facienda, & quomodo legendi ſint.

Dandinus *in Ethic. Sac. l. 3. c. 14.* agit de libris Hæreticorum.

Thiers Champronda Parochus in tractatu de ludis, atque ſolatiis loquitur de malorum librorum lectione.

Liber cui titulus: familiarum Chriſtianarum Pædagogus, colloquio ultimo de malis libris.

Moralis Chriſtiana in *Pater*, tractatu ſecundo in præambulum art. 7. puncto altero, docet per meditationem ſacrorum librorum lectioni conjunctam orari.

P. de Argentano Capuccinus in Collationibus ſuis de Magnalibus Dei, collatione 30. art. 4. docet omnes faſtidire debere prophanorum, ac inutilium librorum lectionem.

P. Heliodorus Pariſienſis ex Capuccinorum familia in Sermonibus, quos de mundi flagitiis edidit Sermone duodecimo. Punctum primum verſatur circa lectionem generatim; alterum circa lectiones, quæ nullo ſunt in diſcrimine; tertium vero citra libros aſceticos. Concinatores recentes.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in argumentis particularibus Tomo 2. Sermone hujus argumenti docet malorum librorum lectionem eſſe cauſam corruptionis mentis, & vitæ.

Abbas Trappenſis in Collationibus, collationem habet in Sermonis formam pro prima Quadrageſimæ Dominica.

Labatha } Titulo, *Lectio*.
Lohner }
Polianthea. Titulo, *Libri, & Lectio*. Qui collectanea ediderunt.
Theatrum vitæ humanæ.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Joſue 1.

Declaratio Sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Pſal. 118.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. Eccli. 39.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Pſ. 118.

Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum: omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Baruch. 4.

Qui legit, intelligat. Matth. 24.

Putaſne intelligis quæ legis? Act. 8.

Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. Ad Rom. 15.

Littera occidit, ſpiritus autem vivificat. 2. Ad Corinth. 3.

Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. 2. Ad Timoth. 3.

Veniens affer tecum libros. 2. ad Timoth. 4.

Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. 2. Ad Timoth. 3.

Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ; noli negligere gratiam, quæ in te eſt. 1. Timoth. 4.

Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Petri 1.

Habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis

facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Ibidem.

Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt. Apoc. 1.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deprompta.

Quam curam & attentionem impendi volebat Deus libro legis.

IN veteri teſtamento de libro legis tantummodo ſermo eſt; ſeu quod hic ſolus tunc adeſſet liber, ſeu quod per antonomaſiam liber appellaretur; ille profecto unus ſatis erat, ut Judæos de omnibus ipſorum officiis erudiret. Verum illud a nobis conſiderandum eſt, quod præcipiebat Deus, ut ſumma cura, atque attentione omnes hunc librum perlegerent, & meditarentur. Videre ſatis eſt ſextum Deuteronomii caput, ubi hæc dicit Deus: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.* Quæ omnes locutiones ſignificant non eſſe obiter duntaxat percurrenda ea, quæ hoc in libro ſcripta erant; ſed meditanda, ad eorum utilitatem cognoſcendam, & praxim numquam prætermittendam. Verum ſi hæc omnia non expoſcit a nobis Deus ratione novi teſtamenti, in quo quidquid Chriſtiano ſciendum, ſervandumque ad ſalutem eſt, continetur, vel ratione aliorum librorum, quæ evangelicarum veritatum ſunt quædam explicationes, atque enarrationes; credendum nihilominus eſt nonniſi peculiari providentia in noſtras devenire manus, nobiſque ingenti eſſe ſubſidio cum ad erudiendos, tum ad inflammandos, ut bene vivamus; neque niſi ſumma cum attentione, & fructu eſſe legendos.

Quo fructu & attentione lecti, audirique fuerant libri legis, quos ordinaverat Eſdras.

Viſne ſcire qua cura legenda ſint, vel ubi legantur, audienda Biblia, & libri, qui de rebus ad ſalutem ſpectantibus agunt? Spiritus Sanctus hujus rei nobis exemplar proponere voluit in iis, quæ poſt Jeroſolymitani Templi inſtaurationem, & poſt reditum populi Dei de Babylonis captivitate acciderunt. Summus Sacerdos Eſdras coram univerſo populo prodiit, ut legis libros, quos collegerat, & ordinaverat, illi perlegerent: Ecce quid textus 2. Eſdr. 8. dicat: *Aures omnis populi erant erectæ.* Incredibili attentione aures adhibuerunt, ac propter reverentiam ſeſe proſtraverunt in terram: *Et incurvati ſunt, & adoraverunt proni Deum in terram*; ſilentium vero nonniſi ſingultibus interciſum fuit ab iis, qui cogitabant, quot modis legem, quæ ſibi annuntiabatur, ipſi perfregiſſent: *Flebat omnis populus, cum audiret verba legis.* Levitarum labor erat illos conſolari, teſtarique hunc triumphi, & lætitiæ diem eſſe non lacrymis, neque mœrore perturbandum. Hoc pacto ſancti, Aſceticique libri legendi, audiendique ſunt; tumque leguntur, cogitandum eſt nobis, quam longe ab iis, quæ audimus, aberravimus. Audiendum eſt quid nobis dicat Spiritus Sanctus per librum hunc, humentibuſque genis fatendum eſt, nos hactenus negligentes, inutileſque ſervos fuiſſe.

Machabæi inter publicas calamitates ſolatium in ſacris bibliis naneiſcebantur.

Aſcetici libri, qui hodierna die innumeri ſunt, eſſe deberent fidelium in afflictionibus, ærumnis, calamitatibus, quibus hæc vita præpedita eſt, ſolatium, Machabæorum exemplo, qui in bellis, quibus laceſſebantur, publiciſque in felicitatibus ad ſacras confugiebant ſcripturas. Hoc illi ad Lacedæmonum Magiſtratus ſcriptere fœdus cum illis antea percuſſum inſtauraturi: *Nos cum nullo horum indigeremus habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris*: 1. Mach. 12. Unde liquet, illos ſolatium, præcipuamque ſpem ſuam in illis conſtituiſſe, licet fœderatorum opem implorare non deſinerent; quamobrem Sanctus Chryſoſtomus in quadam ex Homiliis ſuis in Geneſim hæc habet: *Vidiſti quomodo quacumque calamitate, humanam naturam premente, conveniens ex ſcripturis antidotum accipere liceat, ut omnis vitæ hujus repellatur anxietas.*

Dei filius ſacrorum librorum lectione uſus eſt, ad Judæos refellendos.

In novo teſtamento ipſe etiam Mundi Salvator ſanctis uſus eſt libris, ut Judæis ſuam probaret miſſionem; Sanctus enim Lucas capite quarto narrat illum, cum eſſet in Nazareth, ubi diu fuerat commoratus, de more ingreſſum fuiſſe in quamdam Synagogam, acceptoque ſcripturarum libro incidiſſe in Iſaiæ locum de hac Meſſiæ, quem præſtolabantur, miſſione loquentis; atque locum hunc tanta facilitate, eloquentia, & gratia explanaſſe, ut omnium in ſe ora, admirationemque converteret. Omnes probarunt quidquid ab ipſo dictum fuerat, & perhibuerunt teſtimonium veritati rerum earum, quæ ille explicuerat; verum non videmus aliquem tunc voluiſſe illum in Meſſiam agnoſcere, & ſequi. Hoc quotidie in ſanctiſſimorum librorum accidit lectione: illos probamus, laudibuſque extollimus; hoc, dicimus, ſcite dictum eſt, hoc belle probatum, hoc venuſte ſcriptum; verum num inde magis frugi, ſancti, officiorumque noſtrum diligentes obſervatores evadimus?

S. Paulus Timotheo lectionem commendat, quam ipſe exercebat.

S. Paulus Timotheo diſcipulo ſuo præcipit, ut lectioni, & ſibimetipſi vacet, non ſolum ut fideles intelligant illum in perfectione proficere, ſed quia hac in re ipſius agitur ſalus, quod his verbis declarat; *Attende lectioni, attende tibi, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus; hoc enim faciens te ipſum ſalvum facies.* 1. Ad Timoth. 4. Qua in re nihil diſcipulo commendabat Apoſtolus, quod ipſe non exerceret; & mirum eſt, hominem, qui totius mundi converſioni ſeſe devovet, qui de Synagoga pergit in Synagogam, de urbe in urbem, de Provincia in Provinciam, & qui eodem fere tempore in omnibus Aſiæ, & Europæ partibus invenitur; qui alioquin certus eſt ſe cæleſti lumine afflatum, & qui nihil vel dicere, vel ſcribere poteſt, niſi ex primæ, ſupremæque veritatis motu, tamen tempus inquirat, quo lectioni vacet, atque jubeat, quocumque inverit, ſecum libros afferri: *Affer libros.*

Exemplum Eunuchi Reginæ Candacis.

Apertiſſimum fructus, qui ex ſacrorum Bibliorum lectione uberrimus percipitur, exemplum habemus in Reginæ Candacis Eunucho, qui dum veheretur in rheda Iſaiæ Prophetæ vaticinia legebat, atque tunc forte in eum locum inciderat, ubi nativitas, & mors Meſſiæ, quem præſtolabantur Judæi, adeo palam expreſſa eſt: ut Evangeliſtæ nihil apertius enarraverit: cum Philippus, qui eadem incedebat via, & qui audiebat verba, quæ ab Eunucho legebantur, divino afflatus lumine ad illum acceſſit, eumque ſciſcitatus eſt, utrum bene intelligeret, quæ legebat; cui cum alter libere ſe nequaquam illa aſſequi reſpondiſſet, teſtatuſque fuiſſet opus ſibi eſſe interprete, a quo erudiretur, gratias habuit Philippo, qui ultro ſe hoc illi officium præſtiturum recepit; quod cum vix præſtitiſſet, atque perfecte neophytum ſuum de humanæ redemptionis myſterio, de Meſſiæ morte, ac nativitate erudiviſſet, baptiſmum petiit Eunuchus, eumque recepit ex manu illius, qui ſumma charitate ipſi ea, quæ ad ſalutem erant neceſſaria, tradiderat. Hiſtoria hæc fuſius in Apoſtolorum Actis cap. 8. narratur. Hinc ſolum inferendum eſt, inſigne hoc beneficium præmium fuiſſe lectionis, qua Eunuchus iſte perlegerat ſanctum Iſaiæ librum, quem ad avertendum itineris tædium advexerat.

Epheſii omnes malos libros comburunt.

Cum Epheſii vidiſſent duos ex Judæis, qui exorcizandi provinciam ſibi vindicaverant, male habitos a furenti dæmone; eorum plures, qui execrabilem magiæ artem exercuerant, libros de eadem agentes attulerunt, eoſque omnibus inſpectantibus in ignem conjecerunt; cumque eorum pretii ſumma ubi ad calculos redacta fuit, inventa eſt 50000. denarios, hoc eſt duodeviginti mille gallicas libras excedere. Novi hi Chriſtiani facile horum librorum pretium reperire potuiſſent in frequentiſſima, & curioſiſſima civitate, qualis Epheſus erat; neque legimus, eos ab Apoſtolis juſtos fuiſſe hanc librorum ſuppellectilem igni abſumere; ſed Spiritus Sanctus tunc Eccleſiæ ſancita prævenit, quæ deinde hoc ipſum pluribus in Conciliis imperavit.

Multi peccatores per librorum lectionem converſi.

In Eccleſiaſtica hiſtoria plurima occurrunt eorum virorum exempla, qui cum inſignes eſſent peccatores, piorum librorum lectione converſi fuere. Celebriores vero hi ferme ſunt.

S. Auguſtinus lectione cujuſdam loci D. Pauli converſus. Aulici duo, de quibus loquitur S. Auguſtinus, quos vitam S. Antonii legentes tetigit Deus, atque convertit.

S. Athanaſius Magus ex lectione vitæ Martyrum converſus.

S. Columbanus ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiæ.

S. Ignatius Loyola ex vita Jeſu Chriſti, atque Sanctorum.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Aſcetici libri aperta ſunt declaratio veritatum, & dogmatum Scripturæ.

D*Eclaratio Sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Pſalm. 118. Nullus Bibliorum locus aptius argumento, quod pertractamus, applicari poteſt, quam allata Regii Prophetæ verba: ambigi enim non poteſt, quo minus Aſcetici libri, quos auctores nonniſi divino lumine afflati conſcripſerunt, ſint declaratio, vel mavis, explicatio veritatum, ac dogmatum Evangelii. Hæ veritates, atque hæc dogmata non ſemper ita perſpicua ſunt, ut aliqua non ſubſit illis obſcuritas; vel quemadmodum ait S. Petrus de S. Pauli epiſtolis loquens, quæ ita difficiles erant ad intelligendum, ut nullo egerent interprete. Hæretici Scripturas in pravum ſenſum detorquet, & orthodoxi non ſemper omnem earum ſenſum aſſequuntur. At boni, nempe Aſcetici libri ſunt, veluti declaratio, & explicatio quædam verborum, quæ Spiritus Sanctus in Scripturis dictavit. Illi hæc ſpirituum noſtrorum captui accommodant, illa vernacula nobis explicant lingua, ac dici poſſunt hac ratione aperire mentem, atque rudibus etiam explanare, quod non percipiunt ex ſimplicibus verbis, quibus in Prophetis, atque Evangeliis Spiritus Sanctus uſus eſt.

Putaſne intelligis quæ legis? Act. 8. Hoc quæſivit Philippus ex Reginæ Candacis Eunucho, de quo jam locuti ſumus, ubi illum audiit legentem Iſaiæ Prophetæ locum de Filii Dei nativitate, & morte loquentis. Intelligiſne, ait illi, vel putaſne te intelligere quæ legis? Hos nos ipſi ex nobis quærere deberemus, quotieſcumque legimus librum, qui magnam aliquam religionis noſtræ veritatem nos docet, vel nos de officiis noſtris erudit: *Putaſne intelligis quæ legis?* Aſſequorne rite quæ lego? Etenim, ut S. Auguſtinus ait, legere, & quæ leguntur, intelligere, differunt: *Intelligere eſt intus legere.* Legit, qui oculis ſcripta verba percurrit; intelligit, qui ſcriptorum verborum ſenſum aſſequitur, & veritatis magnitudinem capit. Cum igitur in Evangelio, vel in Aſcetico quopiam libro lego? cor a terræ bonis evellendum eſſe, inimicos eſſe diligendos, dimittendas injurias, charitatis opera exercenda &c. *Putaſne intelligis quæ legis?* Numquid in hodiernam uſque diem magnas haſce veritates intellexi? Heu! quomodo illas opere complevi?

Qua cura, & aviditate boni libri legendi ſint.

Fili hominis comede volumen iſtud. Ezechiel. 3. Spiritus Sanctus docturus, quanam attentione & aviditate legendi ſint libri Sancti, videlicet Scriptura Sancta, vel Aſcetici, qui Dei nomine ad nos loquuntur, comedendi vocabulo utitur: *Comede volumen iſtud. Accipe librum, & devora illum*: Apoc. 10. quæ quidem loquendi ratio admirationem ciere deberet, niſi Sancti Patres nos admonuiſſent, bonorum librorum lectionem eſſe animæ cibum, quemadmodum caro eſt corporum noſtrorum alimentum. Ita Ezechiel Propheta vidit manum ſibi librum offerentem, illum manducare juſſus; liber vero complectebatur lamentationes, epinicia, & maledicta; quæ naturalis eſt figura earum rerum, quæ in Aſceticis libris continentur, qui ad fideles erudiendos, eoſque ad Dei cultum excitandos ſcripti ſunt. Ibi leguntur pœnitentiæ cauſæ, quæ efficiunt, ut in cœlum amittatur ſuſpiria cor dolore confectum teſtantia: *In eo ſcripta erant lamentationes.* Ibi leguntur epinicia, conſolatoria verba, quæ efficiunt, ut in hac quoque vita juſti Sanctorum deliciis perfruantur. Inveniuntur ibi quoque minæ, quas peccatoribus intentat Deus, & maledictiones, quæ obſcuratiſſima etiam corda concutere, ac perterefacere poſſunt.

Lectio ſpiritualis adnumerari precibus poteſt.

Oportet ſemper orare. Luc. 18. Lectio ſpiritualis recenſeri poteſt inter eas preces, quas effundere poſſumus, & quod præcipium toto vitæ noſtræ tempore nobis eſſe debet negotium; ut enim cum fructu preces effundamus, Deo placere non ſufficit; ſed ea etiam audienda nobis ſunt, quæ ipſe dicit, & quæ nobis ad cor loquitur. Non ſatis eſt illi noſtram exhibere calamitatem, ſpiritualem egeſtatem noſtram, & ærumnas, quibus conficimur; neceſſe eſt etiam ab eodem recipere ea remedia, quæ apta ſunt vulneribus noſtris curandis, atque noſtris neceſſitatibus ſublevandis. Primum facimus, cum oramus, & audimus, quid nobis dicat Deus, cum Aſceticos libros perlegimus: ſed meditatio addenda eſt lectioni, quæ alioquin inutilis eſſet, & vacua. Itaque inter orationem, & meditationem hoc intercedit diſcrimen, quod orationis quidem objectum Deus eſt: at ſubjectum meditationis eſt verbum Dei, & chriſtianæ veritates, quæ in Scripturis quidem continentur, ab Aſceticis vero explicantur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

S*Icut ferrum, niſi uſum habuerit, æruginem generat; ita & anima, niſi divinis exerceatur lectionibus, naſcentur illi peccata.* Auguſt. quæſt. 120. ex utroque Teſtam.

Quod ſemel lectum eſt, nullo modo arbitremini ſatis vobis innoteſcere; ſi ergo eum librum fructuoſiſſimum habere vultis, non pigeat relegendo habere notiſſimum. Idem, lib. de Correption. & Grat. cap. 1.

Sacrarum lectio ſcripturarum divinæ eſt præcognitio non parvæ beatitudinis. Idem, Serm. 112. de Temp.

Qui vult cum Deo ſemper eſſe, debet orare & legere. Idem, Ibidem.

Cum oramus, ipſi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiſcum loquitur. Idem, ibid.

Geminum confert donum lectio ſanctarum Litterarum, ſive quia intellectum mentis erudit, ſive quia a mundi vanitatibus abſtractum hominem ad amorem Dei perducit. Idem, ibid.

Labor honeſtus eſt lectionis, & multum ad emendationem animi. Idem, ibid.

Optime uteris lectione divina, ſi tibi eam adhibeas ſpeculi vice, ut ibi velut ad imaginem ſuam anima reſpiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. Idem, Epiſt. 143.

Ita Scripturas ſanctas lege, ut ſemper memineris, Dei verba illa eſſe, qui legem ſuam non ſciri tantum, ſed etiam adimpleri jubet. Idem, Ep. 143. ad Demetriad. Virg.

Divinæ Scripturæ quaſi litteræ de patria noſtra ſunt. Idem, vel alius Author, Serm. 36. ad fratres in Eremo.

Quid eſt Scriptura Sacra, niſi quædam Epiſtola Dei ad creaturam? Gregor. lib. 4. Epiſtol. Epiſt. 84.

Numquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber; ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Hieron. ad Ruſtic.

Tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat. Idem, ad Euſtoch.

Cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendis? Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 20.

Cur non Chriſtum alloqueris, Chriſtum audis? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina Oracula legimus. Idem, ibid.

Perſpicuum eſt ſpirituali lectione animam ſanctificari, & gratiam Spiritus ſancti affatim infundi. Chryſoſt. Hom. 13. in Joan.

Parate vobis libros, medicamenta animæ. Idem, Hom. 9. in c. 3. ad Coloſſ.

Arma dæmonum, Eccleſiæ ſubverſio. (*Ita libros malos vocat.*) Idem, in Epiſt. ad Rom.

Lectioni ſedulo incumbe, ut mens tua ſedulo illuminetur, ſiaſque perfectus, & integer, in nullo deficiens. S. Ephrem, de patientia.

Non mediocriter ſolet illuſtrare, & colligere mentem lectio; verba enim Sancti ſunt, & lectores omnino dirigunt, & moderantur. S. Climacus, Grad. 37.

Scribere eſt manu prædicare. Caſſian. c. 30. de Divinis lect.

Quid prodeſt continua lectione tempus occupare, Sanctorum ſcripta, & geſta legendo tranſcurrere, niſi ut in his diligenter conſideremus ſtatum noſtrum, & ſtudeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare? Incertus Auctor ſcalæ Paradiſi, c. 10. apud Auguſt. tom. 9.

Libri ſacri ſunt Chriſtianorum utilitas, theſaurus Eccleſiæ. Caſſiodorus.

Mens tua divinis ſe voluminibus occupet; his antiquus hoſtis cum te videt intentum, velut hoſtem fugit armatum. Petrus Damiani, lib. 6. Epiſtol. 29.

Si quis ad legendum accedat, non tam quærat ſcientiam, quam ſaporem. Bernard. Epiſt. ad Fratr. de monte Dei.

Philoſopho Chriſtiano lectio exortatio eſſe debet, non occupatio. Hugo a S. Victore.

Sine legendi ſtudio neminem ad Deum intentum videas. Idem.

Ubicumque verbum Dei legitur, Spiritus Sanctus occulte operatur. Thomas a Kempis, opuſc. de Diſcipl. c. 1.

Libri pii docent ignaros, arguunt otioſos, excitant torpentes, exſtimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit hoc in argumento.

Quid ſit lectio ſpiritualis.

CUM nemo unus ignoret, quod ſit librorum lectio generatim, hoc in loco dicendum eſt dumtaxat, quid ſit lectio ſpiritualis. Spiritualem appellamus lectionem, cum legitur vel Scriptura Sancta, vel alius quilibet liber de piis rebus agens, hac mente, non ut doctiores evadamus, quod ſtudium eſt; ſed ut ſpiritu proficiamus, videlicet ut noſmet excitemus ad ea exercenda, quæ legimus, atque ut ſanctiores, perfectio-

fectioreſque ſiamus. Verum ut adeo ſanctæ exercitationis naturam, & utilitatem rite aſſequamur, id unum conſiderare ſufficit, cum libri facti ſint ad hominum doctrinam, atque ut ea doceantur, quorum cognitionem cupiunt acquirere ſcientia, quæ ex libris diſcitur, varia eſt, pro varietate argumentorum, quæ ab illis tractantur. Quamobrem quemadmodum Medicus artis ſuæ libros legens ſcitus fit, & peritus Medicus, ita Chriſtianus Aſceticos legens libros animo erudiendi, & efficiendi ea, quæ diſcit, fit Aſceticus, in ſalutis via magis perſpicax, in Dei cultu magis fervens, atque in religionis, ſtatuſque ſui officiis obeundis magis fidelis, in quo ſcientia ſanctorum conſiſtit. Itaque non ſecus ac omnibus in Regnis Academiæ ſunt ad omnes ſcientias ediſcendas inſtitutæ, ita & in Eccleſia, quæ eſt quodammodo Jeſu Chriſti lycæus, percipitur ſcientia ſalutis; & Scripturæ, aliique pii libri totidem ſunt præceptores doctiſſimi, integerrimique, qui licet muti, non minus ſcientiam hanc adeo neceſſariam nos docent, quam Concionatores, & Confeſſarii concionibus, atque hortationibus ſuis.

Varia librorum genera, & varius eorum efficiendus uſus.

In tanta hac librorum copia, qui omnibus ſæculis fuere conſcripti, & quibus univerſus terrarum orbis repletus eſt, ſciendum eſt tres eſſe eorum ſpecies, vel illos in tres claſſes eſſe dividendos. Alii nullo in diſcrimine ſunt, hoc eſt qui neque ſanctiores, neque perfectiori non faciunt; hujuſmodi ſunt libri ſcientifici, philologici, hiſtorici, opera nova, & vetera, qui mentem dumtaxat recreant aliquid, quod ad vitam noſtram inſtituendam, informandamque conferat, verbo cum in bonum uſum converti poſſunt, in bonorum claſſem ſunt admittendi. Quidam ſunt omnino mali, pernicioſi, vel periculoſi, quorum alii quidem mores corrumpunt, alii vero religionem impugnant. Prioris generis ii ſunt, qui licentiæ amorem inſpirant, qui de impudicis rebus agunt, libelli diffamatorii, ſatyrici &c. alterius vero libri impii, hæretici, qui damnabiles continent curioſitates &c. Quamplures etiam adſunt boni, utiles, nobis ſanctificandis apti, quales ſunt Aſcetici, qui docent, vel exponunt chriſtianas veritates & Evangelii inſtituta, quos proprie ſpirituales dicimus, & quorum lectio ſatis umquam commendari non poteſt.

Electio librorum facienda.

Libros cognoſcere non levis eſt ſcientia, neque mediocris prudentia eorum electionem habere; ſed inſignis felicitas eſt bonum invenire librum inter tot malos, atque inutiles, quorum copia in infinitum prorſus excrevit. Etenim quemadmodum nonnumquam unus ſatis fuit malus, hæreticuſque liber ad Civitates, integraſque nationes corrumpendas, ita unus tantum ſatis eſt ad plurimos peccatores convertendos, atque inextimabilem fructum referendum. Hæc autem electio facienda eſt non ſolum ad evitandum periculum, ne mali alicujus libri lectione prævertamur, verum etiam ad præferendum inter Aſceticos illum, ex quo pro noſtra diſpoſitione, ſtatu, officio uberiorem recipere fructum poſſumus; qua in re ſapientis, prudentiſque confeſſarii monitum ſequi tutiſſimum eſt. Nam præterquamquod omnes haberi, omneſque legi non poſſunt; neceſſarium, immo utile etiam non eſt plurimum legere, ſed ea, quæ lecta fuerunt, diligenti cura perpendere, & per otium meditari graviſſimas veritates, quas bonus liber nos docet ut eas in praxim redigamus; quod ſi deſit, lectio ut plurimum inutilis eſt.

Omnes liber boni a Deo inſpirati fuerunt.

Dicere poſſumus, immo credere etiam debemus omnes bonos libros nobis a Deo miſſos fuiſſe tamquam magiſtros, a quibus edoceremur; hi ſunt ſubſidia quædam, vel externæ gratiæ non ſecus ac prædicationes, bona exempla, & boni ſermones, quos audimus; & ratio eſt, quia ſi dona quælibet, quæ bona ſunt, deſurſum ſunt, & a Patre luminum, ut inquit Apoſtolus; quis ambigere poteſt, utrum boni libri, qui continent veritates, & dogmata ad vitæ noſtræ rationem inſtituendam, moreſque corrigendos neceſſaria, cœli ſint dona? Cumque Deus vulgo exterioribus gratiis interiores adnectat, quis dubio locus, quo minus boni libri ſint veluti rivus earum, ideoque magna ad ſalutem noſtram ſubſidia? Hac de cauſa a nonnullis Sanctis Patribus vocantur Epiſtolæ nobis a Deo miſſæ.

Quibus in rebus Aſcetici libri ſermonibus præſtent.

Quemadmodum ſingularia nos magis movent quam generalia, & univerſalia, juxta Philoſophorum adagia, ſequitur, Aſceticos libros, qui in iis quæ ad mores pertinent magis ad particularia deſcendunt, & ad quemlibet legentem ſingillatim loquuntur, & nullius rationem habent, hac re ſermonibus præſtant, quibus omnia generatim attinguntur, & quæ nemo ferme applicat ſibi. Inde vero eorum magis patet utilitas, quod qui illos præ manibus habet, eoſdem ubi voluerit, & vacaverit, conſulere poteſt, lecta ad trutinam diligentius revocare, lectionem intermittere, ac rurſus ad illam reverti; ita ut bonus liber ſit Concionator domeſticus, ſemperque paratus ad nos erudiendos, quin nobis vel blandiatur, vel incommodet.

Librorum qui de controverſiis agunt, non omnibus indiſcriminatim lectio permittenda.

Ex iis, quæ vel hactenus a nobis dicta ſunt, vel ſunt deinceps dicenda de bonis lectionibus, nequaquam inferendum eſt omnes bonos libros indiſcriminatim eſſe legendos. Libri, qui fidei inimicos refellunt, ſunt veluti armamentaria, ubi Theologi eligunt arma ad Dei, & Eccleſiæ inimicos infringendos; eorumque lectio non eſt indiſcriminatim permittenda; plurimi enim ſeipſos vulnerarent, illa attrectantes arma, quæ minime norunt. Hoc ipſum dicendum de plurimis Sacræ Scripturæ libris. Hi proculdubio librorum omnium ſunt optimi, & antomaſtice Sacra Biblia vocantur; attamen nonnulla Concilia eorum lectionem promiſcue negant permittendam. Et nonne mirum eſt, quod Eccleſiæ adverſarii adeo vehementer contra hoc interdictum exurgant, quandoquidem nequeunt diffiteri, Marcionitas, Manichæos, Arianos, Neſtorianos, Pelagianos, alioſque ſectarios, quos veluti Hæreticos, & fatentur, & damnant, aberraſſe male interpretando, quod adeo bene ſcriptum eſt? Meminiſſe opus eſt, ſolida obſonia parvulis, ægriſque negari non tamquam mala ex ſe, quandoquidem nemo unus bonas eorum qualitates ignorat, ſed quia ægrotantium indiſpoſitio bonos, optimoſque cibos in malum converteret.

De malis prohibitiſque libris.

Satis oſtendimus quinam ſint libri mali, & pernicioſi ſeu contra religionem, ſeu contra bonos mores. Addendum eſt dumtaxat, libros, quos in Tridentini Concilii indice recenſentur non eſſe ſolos, quorum lectio vetita ſit. Index ille quoſdam dumtaxat complectitur libros poſt annum milleſimum quingenteſimum decimum quintum uſque ad aliquot annos ſubſequentes compoſitos; ſed alii omnes ſeu ante, ſeu poſt Concilium ad hæc uſque tempora editos, prohibiti ſunt, ſi ejuſdem ſint characteris; hoc eſt, ſi ſint fidei, boniſque moribus contrarii; quos etiam ſi nullum vel Generale, vel Provinciale Concilium damnaſſet, propria natura damnantur. Evangelium ne inutilia quidem colloquia permittit; liquet ergo damnari criminoſa, ſive cum viventibus, ſive cum mortuis habeantur, ſeu cum auctoribus, ſeu cum operibus eorum; niſi aliter officii noſtri poſtulet ratio, vel juſta facultas fuerit impetrata.

Concilia non Hæreticorum tantum libros excommunicant, ſed etiam qui tenent illos.

Notandum quoque diligenter eſt, Conciliis non damnari eos ſolum excommunicationis propoſita pœna, qui hæreticorum libros legunt, & vendunt, ſed eos quoque qui tenent illos; & Pius IV. in Bulla ante indicem libr. prohibit. vulgata declarat, eſſe peccatum mortale non ſolum legere, ſed retinere libros alias ob cauſas prohibitos; & ratio eſt, quod ideo tenentur, ut legantur, quod ſaltem eos legendi periculum perſeverat; quod ubi videntur in memoriam redeunt, quæ lecta fuerant; quod ſcandalum iis prabetur, qui ſciunt illos a nobis retineri; quod neceſſario in alias manus migrabunt, ſi retinuerimus illos: & quod alii iis vel pejus, vel æque ac nos ipſi male utentur. Quid ergo cenſendum eſt de eorum auctoribus, qui illos conſcribunt, de illis, qui eos commodant, ac ex eorum venditione lucrum conquirunt?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Commodum, ac ſuavitas cum libris converſandi.

SUavis, jucundaque homini ſcito, & ſenſato converſatio eſt habere libros, & cum ſæculorum omnium ſapientibus loqui. Quamvis illi non loquantur amplius, non ceſſant tamen nos utiliter erudire, nobiſque ignorantiam noſtram oſtendere, quin ullo nos rubore ſuffundant. Plurima quidem a viventibus ediſcere poſſumus, verum aliqua ſemper cum verecundia; eo quod ignoramus ea, quæ homini ætatis, ſtatuſque noſtri ignoranda non eſſent; & ſæpe pavor noſter talis eſt, ut aliquid neſcire malimus, quam illud ex aliquo exquirendo, noſtram inſcitiam palam fateri. At cum mortuis hic pavor abeſt; libere ad illos confugimus; illos rebus in omnibus conſulimus, quin erubeſcamus, & quodcumque monitum ab illis recipiamus, nobis tamen integrum eſt id credere, & facere, quod e re magis futurum cenſemus. Si noſtros nobis defectus aperiunt, id ſine ulla exaggeratione peragunt; ſi nos commendant, omnis procul abeſt adulatio; ſi nos corripiunt, nulla intereſt acrimonia; cupiditate, quæ nullum umquam bonum conſilium tradere didicit, & animi ægritudine quæ ſemper oſtendit res aliter, quam ſint, non afficiuntur; ſi malum,

quod

quod in nobis eſt, oſtendunt, id agunt, ut nos eodem liberent; unaque eorum mens eſt efficiendi, ut veritatem intelligamus. Adde, quod converſatio, quam cum illis habemus ſuper eo, quod ipſi cupimus argumento, tantum durat, quantum nobis lubet, eo tempore, & hora, quæ nobis lubet; eamque, ubi, & quoties lubet, nobis interrumpere integrum eſt: *Liber cui titulus Familia Sancta tomo 2. cap. 2. §. 3.*

Utilitas, quæ ex lectione ſæpertim percipitur.

Quemadmodum converſatio, ac frequens cum ſapientibus colloquium plurimum de pravo ingenio noſtro tollit; ita lectio bonorum librorum plurimum ad ingenium noſtrum excolendum conducit. Non deſunt homines ita violenti, cum quibus æque ac cum feris tractare timemus; tantum illis paſſionis ineſt, rationis vero, honeſtatis, ac humanitatis parum adeo, ut nihil humanum præter figuram habere videantur. Hujus autem adeo ferocis ingenii flectendi, molliendique non aliam meliorem invenio viam, quam bonorum librorum lectionem: ſi enim ingenio excolendo eorum etiam, qui maxime rudes, durique ſunt, aliquid confert, ſi educationi, & iis, quæ a natura ſortiti non ſumus, abunde ſupplet, cur illa ingenii feritatem non flectat? Itaque fatendum eſt hanc non eſſe minimam, quæ inde percipiatur, utilitatem: verum quod inde non hauritur ad vitæ noſtræ regimen, atque in graviſſimis negotiis auxilium? Quam maxime intereſt hominis illius, qui in mundi hujus commercio verſatur, noſſe ea, quæ ſæculis ſuperioribus contigerunt? Si in certo rerum ſtatu ab aliis erratum fuit, poterit aliquis ſimili in occaſione ab erroribus ſibi cavere: videbit conatus hos ſemper in irritum ceſſiſſe, atque infert, ſibi illis immiſcendum non eſſe. Talis occaſio illis optilata eſt, quibus a voto ſuſcepta ceſſerunt conſilia, non igitur eam mihi patiar elabi, cum ſeſe offeret mihi. Hujuſmodi conſiderationes modico ſtant labore, & plurimum afferunt fructum; eas nobis ſuggerunt libri, & hoc pacto præteritum docet, quid impoſterum faciendum ſit, & egregia nobis ſuppeditat lumina, ut vivendi rationem optime inſtituamus. Sed quodnam ſolatium, quod remedium ibi calamitatibus omnibus non invenitur, quæcumque ſit noſtræ mentis affectio? Triſtis es, ac triſtis aliquis caſus negotium tibi faceſſit? In Aſceticis libris invenies opem, & ſolatium, quo eges, vel ſaltem aliquod doloris tui lenimentum, quo facilius eum feras. Si quam bonorum, amicorum conſanguineorum, vel exiſtimationis jacturam ſubiiſti, libri tibi infinita ſuppeditabunt exempla eorum, qui majoribus affecti fuere curis, quorum in ſimilibus malis perferendis conſtantia tibi animos faciet. Si lectio tibi non aufert mali cogitationem, quod te fortaſſe æquo gravius torquet, ſaltem illud imminuet, tibique etiam fortaſſe perſuadebit illud in imaginatione tua gravius eſſe, quam reipſa ſit. *Idem.*

In ſanctis libris quæritur veritas, quæ in prophanis non repetitur.

Quemadmodum oculi lumen, & guſtus ſapores, ita mens amat veritatem & illam ubicumque perquirit. Libros tamquam theſauros putat, ubi illam contineri arbitratur; eos aperit, & illam inquirit, ſed ſæpe decipitur; mundus enim repletus eſt inutilibus libris, qui ſunt tamquam adulterini lapilli, qui aliquantulum quidem nitent, & veros imitantur, ſed eorum virtutem, ac pretium non habent. Fere numquam aperiuntur libri ſine ſpe vel voluptatis, vel utilitatis, vel utriuſque percipiendæ, & pauci ſunt, qui hoc non polliceantur, & quamdam non præſeferant ſpeciem. Sed mens, quæ repleri geſtit, ibi non inveniens, quod quærit, quam primum faſtidit; veritatis famelica eſt, ſed omnes licet prophanos libros evolvat, nihil ibi ſolidum invenit, cui poſſit inniti, & quod ideo illi ſatisfacere valeat. Hac de re olim conquerebatur Sanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 25. Quæ triſtitia inquieto ſpiritui, qui ſollecito veritatis premitur deſiderio, cum poſtquam cum labore diu illam in Ethnicorum philoſophorum ſcriptis conquiſivit, quod fecerat ſummus ille vir, nihil invenit, quod ſibi ſatisfaciat, & laboris temporiſque ſe feciſſe jacturam cognoſcit. Si laboris partem in ſanctorum librorum lectione impendiſſet, ſolidas ibi nactus eſſet veritates, repleſſet, & ſaginaſſet ſpiritum ſuum, ac inde egreſſus eſſet voti ſui compos magis quam eſuriens, qui e convivio exquiſitiſſimis inſtructo dapibus, quibus abunde ſaturatus eſt, diſcedit. *P. de Argentano Capuccinus libro de Magnalibus Dei, Collatione tertia in operis concluſione.*

Non omnino prophanorum librorum lectio inutilis eſt.

Dicitur Moyſes, cujus adeo celebris ſapientia eſt, in omnibus Ægyptiorum ſcientiis ſeſe exercuiſſe, ac illis tot veluti gradibus uſus ad divinam cognitionem perveniſſe: eorum igitur libros evolverat. Sæculis inſequentibus Daniel Babylone captivus ſub Chaldæis magiſtris ſtuduit, antequam ſacris ſcientiis operam daret; & Sanctus Paulus oſtendit poetarum lectionem a ſe nequaquam fuiſſe neglectam, cum in Areopago quoſdam eorum protulit locos. Ita (Sanctus Baſilius inquit) ſcientiis prophanis, ac librorum de iiſdem agentium lectione noſmet præparare debemus, antequam ſacrum ſcientiarum adyta penetrare velimus. Vivis hiſce luminibus aſſueſcemus, quemadmodum Soli reſpiciendo aſſueſcimus ejus in aqua intuentes imaginem. Si ſcientiæ aliquem inter ſe nexum habent, profecto prophanæ ſacrarum cognitionem nobis faciliorem parabunt; ſi nullum habent, earum diſcrimen agnoſcemus illas invicem comparantes, quæ comparatio optimæ electioni efficiendæ poterit inſervire. *Abbas de Bellegarde in Collatione ſermonum S. Baſilii, ſermone de librorum prophanorum auctoritate.*

Sacrorum librorum lectio hodie negligitur.

Miſerum profecto, jugibuſque lacrymis deflendum eſt, hoc litterarum, librorum ſæculo, nullum vulgo ſtudium ita contemni, ut ſacrorum Bibliorum, in quibus conſcientiæ, divinique verbi doctrina continetur. Vitium, atque mendacium in amatoriis fabulis recens editis plurimos ſemper nanciſcitur lectores, immo & admiratores, quos corrumpat; veritas autem, & pietas in ſanctis libris adeo paucos inveniunt, qui eorum legendorum curam ſuſcipiant, ut proficere poſſint. Pravus hic guſtus mollium, inertiumque animarum eſt ægritudo, ſimilis infirmis puerorum ideis, qui propter ludicrum, & pueritiæ quidpiam dolent. Verum inde magis obſtupeſco, quod video pertinaciam, pravumque horum hominum guſtum, qui tamquam ſerio occupati creduntur, horum virorum, qui Bibliothecas frequentant, qui libris, atque manuſcriptis codicibus impalleſcunt qui laborant, inſudantque ſterilibus ſcriptis enucleandis, non ſecus ac agricolæ ſterili, & maledictæ terræ exercendæ; quin in ſacris libris inquirant fontem veritatis primitivæ, *diſcant Sapientiam Antiquarum*, Eccli. 39. vacent ſcientiæ Prophetarum, celeberrimorum Patriarcharum hiſtoriam evolvant, & uti Eccleſiaſticus loquitur; *in ſecreta parabolarum ingrediantur. P. Bonal in Chriſtiano temporis l. 1. cap. 15.*

Theſaurus, quem in ſcripturis ſanctis habemus, & bonum, quod inde percimus.

Quid ſanctificationi noſtræ magis prodeſſe poteſt, quam ſanctorum cognitio librorum, in quibus ſola, & vera continentur bona, quibus, tamquam inexhauſtis omnium gratiarum, & benedictionum theſauris, & veluti copiæ infinitæ in defectibilibus fontibus animæ noſtræ poſſunt locupletari? Hoc eſt ſubſidium, quod a divina largitate percepimus quo omni tempore cum ſummo fructu uti poſſumus in innocentia, & peccato in tentatione, & quiete, in bona, & infirma valetudine, in bello, & in pace, malacia, & tranquillitate æque ac in tempeſtate, & naufragio; & de ſacro verbo dicere poſſumus, quod his libris continetur id, quod de ſeipſo Jeſus Chriſtus ait: *Ego ſum via veritas, & vita.* Et ſane nonne via eſt, quandoquidem viam nobis oſtendit, qua incedendum eſt, atque nos illuminans prohibet, ne eamdem ſequentes aberremus. Nonne veritas eſt, quandoquidem ſanctas complectitur veritates, quas indeſinenter meditari debemus, & quiſquis tamquam cœleſti eſca infinitæ bonitatis, atque virtutis nutriri debemus? Vitam vero eſſe quis credere nequit, quandoquidem vitam impertit omnibus eamdem fidei, vivæque pietatis ſenſu recipientibus? *Abbas Trappenſis Collatione pro ſecunda Adventus Dominica.*

Nihil nos ad perfectionem, & ſanctitatem magis debet excitare, quam lectio ſacræ ſcripturæ.

Numquam ſatis hortari vos poſſum (animæ Chriſtianæ) ut indeſinenter ſanctæ huic lectioni vacetis, certus enim ſum nulla re vos tutius, & celerius poſſe ad perfectionem attolli, ad quam Dei juſſu evocamini. Divinum hoc verbus univerſam ſamctificavit Eccleſiam; martyres ibi invenerunt robur illud invictum, quo de tyrannorum furore, ac rabie retulere triumphum: doctores ibi nacti ſunt lumina, & cognitiones, quibus indigebant, ut populos erudirent; & cœnobitæ inde hauſerunt angelicam puritatem, inſuperabilem in auſteritatibus patientiam, & rerum omnium fluxarum, fragiliumque comtemptum. De veteri æque ac novo teſtamento loquor; licet enim hoc pluribus in rebus illi præſtet, attamen in priori quoque omnes fundamentales religionis virtutes inveniuntur. *Idem.*

De bonorum librorum lectione; & quomodo facienda ſit.

Quamquam omnium Aſceticorum lectio librorum per ſe ſanctiſſima ſit, atque utiliſſima, attamen talis eſſe ceſſat, cum non ſit ſecundum ordinem, ſtatutaſque regulas; videlicet, ſi fiat feſtinanter, cum curioſitate, & animo poſitus ſibi ſatisfaciendi, quam ſeipſum illuminandi, atque erudiendi; & eædem veritates, quæ cum neceſſariis præparationibus pertractatæ, & receptæ in animabus infinita producerent bona, nihil ferme ibi pariunt, vel etiam malum tantummodo gignunt propter pravas circumſtantias, quæ in illis occurrunt. Quantumvis optima ſit eſca, quam præbes ægro, quamvis ejuſdem temperamento, imbecillitati ſtatuique par; ſi nimia ſumatur aviditate, ſi non antea be-